



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rervm
Christianarvm Memoria, Libri X**

Haimo <Halberstadensis>

Helmestadi[i], 1671

Cap. IV. De Alexandro, Episcopo Hierosolymorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10968

Scholasticos non mediocriter reprehendimus, qui libris gentilium tam familiariter adhaerent, & totos se immergunt, ut totum pene in eis suæ cursum eruditio-
nis consumant. Quam honestius erat ecclesiasticæ
intendere disciplinæ! quam rectius & facilius Sacræ
Scripturæ libros addiscere! Quibus legēndis si da-
rent operam, paucioribus certe temporis spatiis
totam in se Bibliam transfunderent, quam omnes
illas frivolas, & penè inutiles scientiolas, qui-
bus occupantur. Sed ecce dum nimis Origeni in-
tendimus, & ejus occasione hunc facimus excursum,
contra legem compendii, pene cæterorum, qui per
idem tempus fuerunt, & verbo & exemplo juverunt
ecclesiam, oblii sumus. Vnde nunc ad narrationis
ordinem revertamur. *Severus regnat annis xix.*

C A P. I V.

De Alexandro, Episcopo Hierosolymorum.

Itaque, *Severo Imperatore xix. annis functo impe-
rio, & tunc tradito filio ejus, Alexander quidam, de
quo ante memoravimus, confessionis titulo satis cla-
rus, Hierosolymorum Ecclesiæ subrogatur Episco-
pus; cum forte, ex gente Cappodocum, ubi erat præ-
claræ urbis Episcopus, Hierosolymam orandi gratia
advenisset, & omnibus divino oraculo innotuisset,
tali voce cœlitus emissa; Suscipite Episcopum, qui vobis
& Deo destinatus est!* Captus ergo, non sinitur ad pro-
prium Episcopatum reverti, sed ibidem residere co-
gitur;

gitur; cum tamen adhuc superesset prædictus ejusdem loci Episcopus *Narcissus*, sed fessus senio, pontificali ministerio sufficere non potens. Interea *Serapion* quoque, Antiochiæ Episcopus, vir magnæ eruditio-
nis, cuius multa habentur opuscula, defungitur; cui succedit *Asclepiades*, & ipse unus ex præclaro numero Confessorum. *Antoninus* regnat vii. annis & sex men-
sibus.

C A P. V.

De Zephyrino, Calisto, &c. Romanis Pontificibus.

Sed & *Antoninus* Imperator diem obiit, cui succedit *Macrinus*. Quo in brevi consummato, id est, post annum; successit alius *Antoninus*. Cujus primo imperii anno *Zephyrinus*, Romanus pontifex, dum obiit, *Calistus* succedit, qui sedit annis octo; quo etiam finem faciente, præsidet *Urbanus*, qui & ipse post VIII. annos, sedem reliquit *Pontiano*. Sed & *Antonino*, quatuor annis functo imperio, succedit *Alexander*.

C A P. VI.

De Epistolis facundis patrum, depositis in Bibliotheca Hierosolymorum.

H A Y M O.

Per idem tempus florent in ecclesia disertissimi viri, quorum Epistolas, quas ad se invicem dabant, tam facundas, quam fœcundas, *Alexander*, venerabilis Hierosolymorum Episcopus, in Bibliotheca Hierosolymorum, quam & ipse multo labore & sumptibus

ad